



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Philippicæ Sive Invectivæ LX. In Notorios Peccatores**

**Hartung, Philipp von**

**Egræ, 1687**

Philippica 54. in obstinatos.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76172](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76172)



# PHILIPPICA LIV.

In Obstinos.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

*Nolebant venire. Matth. 22. v. 3.*

§. I.  
Nihil hu-  
mano cor-  
de durius.

**D**urum, quis nescit? marmor est, durius marmore ferrum, quo marmor frangitur, durior ferro adamas, qui ferro non cedit, durius omni adamante cor humanum, quod nec theandrico agni immaculati sanguine emolliri se patitur, cum adamas hircino cedat sanguini & mollescat. patheticum obdurationis humanæ exemplum in hodiernis negotiatoribus proponitur, qui à clementissimo Rege singulari humanitate ad nuptiales epulas invitati *nolebant venire*; rogaret licet Rex, blandiretur, polliceretur, & nihil officiorum ad animos subditorum demerendos prætermitteret, frustra tamen omnia, *nolebant venire*. nihil ergò autoritas regia, nihil pretiosissimi convivij orexis, nihil politicissimæ aulicorum preces, nihil præmiorum spes, suppliciorum metus apud agrestes animos profecere? nihil omnino, nihil. ea enim est mortalium cordium durities, ut frangi possint facilius, quam flecti, nec majus omnipotentiae divinæ videatur miraculum, quam si nolentem venire efficaci tamen gratia suâ ita emolliat, ut veniat, & regali epulo non invitus intersit. Quæ gratia nisi dictioni meæ potenter adsit, actum agam, dum contra obstinos agam, & licet omnem superioris eloquentiæ moveam lapi-

dem, lapides tamen induratos non movebo, nisi, quam repetitis votis invoco, potentior de supernis gratia intercedat.

Obstinatus is dicitur, definiturque ab angelico Doctore, *qui firmiter adhaeret delectationi indebitæ & deformitati actus cum proposito seu pertinacia non penitendi*. quæ pertinacia peccatum in Spiritu Sanctum, ideoque irremissibile appellatur, non quòd nullo modo remitti possit, sed quia difficillimè & raro remittitur, quia remissionem peccator non appetit, vel si appetiari novit, procrastinat, itaque peccata peccatis accumulatur, dum desperet & contemnat juxta illud prov. 18. v. 3. *peccator cum in profundum venerit, contemnit*, contemnendus & ipse à divina, quæ non irridetur, Justitia, atque æternaturis gehennæ supplicij adjudicandus. Non ineptam peccatoris obstinati imaginem in molosso Indico, quem Alexandro Magno à Sophite Indorum Rege oblatum testantur historiæ, repræsentatam aspicio, qui non nisi leonibus & elephantis congregari gaudebat, tauros verò, apros, aliasque feras inferiores latratu confidit, quæ suo dedignabatur. commissus aliquando cum leonum ferocissimo, guttur mox strinxit, leonemque penè strangulavit, immittitur interea satelles, qui molosso crus dextrum amputet, quo truncatus à leone ta-

men

§. 2.  
Varia ob-  
durati  
peccatoris  
problemata.  
ex S. Tom.  
2. distinct.  
43.  
Gregor. de  
Valent. in  
2. 2. Disp. 1.

men strangulādo non remittit; amputantur deinceps crura omnia, & caput ipsum à cervice revellitur, non tamen à leonis faucibus canini absistunt dentes, mirabili profectò ferinæ pertinaciæ exemplo. Molosso huic persimiles vos ego obstinati peccatores esse pronuntio, qui mordicùs inhæretis inveteratæ, quàm arripuistis, peccandi, maledicendi, pejerandi, calumniandi, consuetudini, etsi manus pedesque varijs immisissis morbis divina Justitia stringat, etsi vitam ipsam mutilet, imò penitus eandem peccandi libido de medio tollat, etsi clamores divinatorum præconum & objecta infelicissimæ æternitatis supplicia stimulent, etsi iussio magni regis urgeat, etsi totum cœlorum amphitheatrum contra vos conclamet. Comparant alij obstinatum peccatorem pelli Crocodilorum, quàm neque fortissimi lapidum iæctus, nec excussi fistulis æneis ignitorum globorum impetus lædunt aut penetrant, alij tauris Æthiopicis assimilant, quorum tergora filice duriora, retorti pili, mobilia in omnem partem cornua, nec alius iisdem capiendis modus sufficit, quàm si præparatas in foveas propellantur, alij ex c. 41. v. 15. Jobi, fingunt incudem, inscribuntque: *Cor ejus indurabitur tanquam lapis, & stringetur quasi malleatoris incus.* ò indurata peccatorum corda, ò incudes ultricis justitiæ, in quibus damnationis æternæ fulmina excuduntur! ò tauri Æthiopici in barathrum extremi exitij ultrò properantes! ò Crocodili immanes omnibus cœlestium jaculorum ictibus impervij, ad æternum non aquarum sed flammaram pelagus destinati! ò molossi barbari ad romphæam & repentinum interitum in contumaciæ vestræ pœnam præsciti! miseret me, imò pudet, & piget &

pœnitet infelicissimæ sortis vestræ, quàm nullo penicillo vivaciter satis depinxero, nullâ satis facundiâ perstrinxero, nullâ condignè similitudine expressero.

Lenis illa est, quàm S. Augustinus homil. 10. ex 50. projecit, similitudo, dum lethargicis eos æquiparat. hi ita obstinati sunt ad dormiendū, ut mori malint, quàm vigilare, illi adeò ad peccandū obfirmati, ut mortem malint incurrere, quàm à peccato abstinere. vellica aures, trahe crines, cæde faciem, obstinatè dormient. Notiora scripturæ exempla, ut præteream, tres potissimùm Reges Judæ nominabo Jechoniam, Joram, Achaz. Cum Deus Jechoniæ literas minarum plenas misisset, concidit cultello epistolam, & in ignem misit, ut videre est Jeremiæ 36. abjectus & ipse à Nabuchodon osore captâ Solymâ, ut prophetia expletur, quâ sepulturâ asini sepeliendum prædicebatur, quia ut asinus vixit. Pertinaciam pingebant veteres specie femineâ nigris cooperatam vestibus, quòd hic color vincise non patiat, caput plenum spissis nubib⁹ ad Solem veritatis arcendum, in manibus caput asinum gestabat, quia asinus ceteris animalibus obstinatio est, en cur sepulturâ asini Jechonias sepeliatur. Joram Deus per immisissos Philisthæos & Arabes, à quibus expilatum gazophylacium, captivati filij, abductæ uxores & concubinæ, ereptum sceptrum & corona, per Arabes inquam & Philisthæos ad meliorem reducere mentem volebat, sed reduci noluit; super hæc omnia percussit Joram Dominus alvi langvore insaniabili, ut per duos annos viscera egereret, nec tamen respuit. allatæ sunt eidem literæ ab Elia scriptæ, minarum & pœnarum plenæ, nec denique respuit. adeò durum est cor indurati peccatoris emollire, nul-

§. 3.  
Tria obstinatorū Regum exempla.

nulliusque frugis ac mentis hominem ad frugem mentemque reducere. Regem Achaz contudit Deus per Regem Syriæ, & Regem decem tribuum Phacée, qui de exercitu Achaz occidit unâ die bellatorum centum & viginti millia, cepitque de populo duos hominum milliones, sed tempore angustiae auxit Rex impius flagitia & sacrilegum supremæ Majestatis contemptum, dum hostium idolis hostiam immolavit. ò faxea mortalium corda, quæ frangi facilius est, quàm emollire aut flectere!

§.4.  
Obstina-  
ti sūt quo-  
vis lapide  
duriores.

Fluvium in Lucania *Silarum* dictum ejusmodi esse naturæ scribit Plinius l. 2. c. 109. ut folia injecta in lapidē mox convertantur. similem fluvium in Germania nescio ubi extare testatur Albertus Magnus apud Thom. Frusillo pag. 45. in quem *quidquid projicitur, durefcit in lapidem*. Exundavit hic fluvius in orbem universum, novōque cataclismo humanum genus ita involvit, ut plura corda faxea quàm carnea fit invenire. Certè lapide omni duriora esse quorundam peccatorum corda testatur ara lapidea, ad quam dijs alienis sacrilegus Jeroboamus sacrificat; testatur petra deserti, quæ virgâ Moysis percussâ dulcissimam aquam propinat; testantur petræ in morte Creatoris sui immani fissæ hiatus, lapidésque alij, qui impressa Domini sui vestigia mollissimo excepere amplexu & indelebili etiamnum retinent constantiâ. Missus erat divinus internuntius Ado Solyomis ad nefarium apostatam Jeroboamum in Bethel, qui ea sacrificio Regi enuntiaret, quæ trecentis quinquaginta post annis eventura erant. at propheta ut coram Rege adstitit, non Regem sed altare allocutus exclamavit: *altare altare*. Sensit vocem ara lapidea, perque medium discissa corruit ac cineres

3. Reg. 13.  
v. 2.

victimarum effudit; Rex verò ipsis lapidibus durior, ipsis marmoribus pertinacior, seu ut loquitur Chryso-  
stomus *lapide ipso insensibilior*, non tantum commotus ad pœnitentiam non est, sed dextram adversus Vatem extendit, & quamvis hæc subito diriguisset, ac prophetæ de in precibus ad pristinum redisset vigorem, nihilosecius in obstinata induratus malitia perstitit, & ad supremum usque Spiritum sacrilegia sua perpetuavit. en ut lapidibus duriora corda sint peccatorum! Lapidem intentabat Moysi & Aaron tumultuosus refractarius populus vocibus, nisi remedium siti quantocyus afferretur, quid agat nobile & sanctum par fratrum in præsentis vitæ discrimine? ad petram nē lapidentur accurrunt, silicem virgâ percutiunt, inde dulcissimas largissimâsq; siti & rebellionem extinguendæ aquas eliciunt. facilius ex silice & pumice aquâ, quàm ex obdurato peccatore contriti cordis lachrymulam elicueris. Petræ in Morte Salvatoris scissæ, monumenta aperta sunt, & tamen Pharisei, Scribæ, Seniores, pro quibus convertendis nullus non motus erat lapis, nequidquam sunt commoti. Dixerat aliquando Christus: *si hi tacuerint, lapides clamabunt* Luc. 19. v. 40. quod consummatâ passione verificatum est, scissæ enim petræ clamorem hiant quodammodo ore edunt & exclamant. quid clamant? V. Bedæ finitâ concione acclamasse dicuntur, lapides: *Deo gratias venerabilis Beda*, tacebant ingrati homines, en lapides loquuntur, & Christo pro tam facunda concione in cathedra crucis habita dicunt *gratias*. *Petræ scisse sunt* ait S. Hilarius *quia omnia valida penetrat verbum Dei*: nunquid verba mea quasi malleus conterens petram? Jeremiæ 23. v. 29. petræ scissæ sunt, cum enim Petra viva

Chryso-  
stom. 25. in  
Genel.

Num. 20.  
v. 10.

fit

fit disrupta, disrumpuntur & inanimæ, sudque condolent auctori, conclamantque contra judæos defertores Christi, & confitentur Dei potentiam, qui potens est de lapidibus suscitare filios Abrahæ Luc. 3. v. 8. clamant deinde contra idola lapidea, quorum Monarchiam tunc conterit *Lapis abscissus sine manibus* Dan. 2. v. 34. unde & prænotant teste Cyrillo Alexandrino in c. 14. Zachar. conversionem gentilium, quibus promittitur: *auferam cor lapideum, & dabo ipsis cor carneum, ut cognoscant me.* clamant denique & invitant corpus Domini in sinum suum, vel optant assumi in sepulchrales lapides, docentque emollito corde per poenitentiam, & scisso per contritionem firmatoque non peccandi ultrâ proposito, nos in vivum Iesu mortuo adaptari sepulchrum. O nos homines Saxis omnibus duriores, & millies lapidari dignissimi, qui scissis petris non findimur, non conterimur, non compatimur, non convertimur!

Ezech. 11. v. 19.

§. 5.  
Obstinatus peccator dæmoniacus peior.

Jam non miror peccatorem à Deo Patre apud S. Catharinam Senensem c. 32. dialog. vocari *dæmonem incarnatum*, peccatum verò à D. Hieronymo in c. 14. Isaiæ appellari *cadaver diaboli*, unde & dæmones in monumentis habitare Matth. 8. Marc. 5. Luc. 8. referuntur, quàm enim impossibile est naturæ viribus cadaver redanimare ad vitam, tam difficile est ordinarijs supernaturalis gratiæ adminiculis inveteratum peccatorem ad veram animæ vitam resuscitare. hinc ille lachrymæ & clamores & fremitus Salvatoris Iesu, cum Lazarum quatruiduanum resuscitaret, *quia difficile surgit* (verba Bedæ in cat.) *quem moles mala consuetudinis premit.* non miror inquam peccatum à D. Chrysostomo hom. 22. in genef. pessimo Dæmone pejus censerî: *peccatum dæmone*

*pejus*, quia citius Deo laudem dæmon attribuit, quàm inveteratus peccator. liquet veritas ex Evangelio: *exibant dæmonia à multis clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei.* Luc. 4. v. 41. ita clamant dæmones, quid homines? quid judæi? negant & pernegant Iesum esse filium Dei, sed Samaritanum, sed dæmonio (horresco dicere) obsessum: *nonne bene dicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes?* ò peccatores! ò judæi dæmone longè deteriores. *populus negat* (Ambrosium audimus lib. 4. in c. 4. Luc.) *quem dæmones confitentur.* ò peior magistro discipulorum *hereditas!* hi, hi sunt discipuli supra Magistram, hæredes patre suo nequiores, obstinatiores dæmonibus homines. Nil denique miror conscientiam obstinati peccatoris inferno comparari à D. Bernardo ferm. 4. de ass. *infernus quidam rea conscientia est*, nulla est inferno redemptio, vix ulla à peccatore obdurato speranda conversio.

Author celebris obstinatos ait carere oculis, auribus, linguâ, naribus, manibus pedibusque. Non vident quæ vident, sicut Judæi miracula Christi viventis & mortui, sicut tyranni miracula martyrum, sicut Pharao profundum maris rubri: Non audiunt, sicut prædicante Stephano hebræi obturatis auribus, sicut Cain, Heli, & Saul vocem divinam, sicut ante diluvium mortales pessimi prædicationem justî Noë, sicut Udo Magdeburgensis, & Leopoldus Wormatiensis Episcopus, de quo Cæsarius lib. 2. c. 9. sicut Tolestanus ille juvenis, de quo Georgius Reb in reg. prudentiæ christianæ c. 11. qui cum à confessario, à Medico, à Sodalibus, ab amicis, à parentibus de seria poenitentia in fatali morbo monitus fuisset, indurabatur magis, idque solum reponebat: *non dum*

§. 6.  
Obstinatus sunt absque sententia

dum est necesse, prostravit se tandem Confessarius imaginem Crucifixi manu tenens, oravitque ps. 129. versum primum: *de profundis clamaui ad te Domine, Domine exaudi vocem meam*, secundum porro versum cum inchoaret: *fiant aures tue intendentes*, eccetibi crucifixus utrumq; de cruce refixit brachium, manibusque obturavit aures, ac vocem hanc fulmineam edidit: *quia vocavite, & renuisti, ego quoque in interitu tuo ridebo*, quã indurati cordis juvenem cum ingenti adstantium horrore exanimavit, nimirum sicut truncati auribus proximi sunt suspendio, itã obdurati animo proximi sunt ruinae. Carent naribus, quia foetorem vitiorum non olfaciunt, sicut prodigus inter porcos, sicut Sunamitis inter hædos, sicut energumenus in sepulchris, etsi peccatorum foetor caelos & Deum tantoperè offendat, ut Magi sinè thure & myrrha se Rege Bethleemitico minimè sistere, Magdalena sinè unguento non comparere audeat, & prodigus exclamare habeat: *peccavi in caelum*, quod vitiorum foetore inquinavi. Carent gustu, sicut Israëlitæ in deserto omnem escam abominati, ideóque mortis propinquitatis: *appropinqua verunt usq; ad portas mortis*. sicut enim sepulchro proximus est, qui nausæã laborat, & nec odorem ciborum ferre valet, itã æternæ morti magnis passibus appropinquat, cui panis vitæ dissipit. Carent tactu sicut Judas, qui nec osculum Christi sensit, sicut Malchus aure sanatã manum thaumaturgã non agnovit, sicut Sodomitæ & Pharisæi percutientem manum non agnoverunt: *percussisti eos & non doluerunt* Jerem. 5. Non habent manus pedesque ad bene agendum, sicut Nabal ab uxore monitus *factus est, ut lapis* 1. Reg. 25. ideo quoque descendunt in profundum quasi la-

pis. Anno 1219. Godeschalcus pingvis rusticus propè Trajectum audivit rotam molendini de nocte versari, quàm tamen pridè firmissimè adstrinxerat; mittit proinde famulum, qui visis spectris redijt re infectã, nec ut denuò exiret persvaderi potuit; ergò herus ipse arrepto pallio Cruce signato prodijt, aterrimos duos equos, & equo alteri insidentem dæmonem vidit, auditque, conscenderet abjecto pallio alterum equum, quicum ad infernum perrexit, tormenta spectavit, locum sibi præparatum observavit, post triduum se arsurum inaudijt, redire nihilominus in mundum permisus, & seminex ab uxore repertus in mola, licet Confessarius ocyssimè accersitus svaderet pœnitentiam, pœnitere noluit inquitens: nihil mihi proderit, locum meum jam vidi, illuc pergam, non possum orare, non possum dolere, frustra me fatigatis, atque itã post triduum impœnitens expiravit.

Nicephorus Iconoplasta (teste zonarã tom. 3.) in Bulgarorum bello pacem ferre rogatus à Crunno renuit inquitens: *quis sive Deus sive adversarius trahet me nolentem?* exacerbat Crunus concubiã nocte invadit castra Nicephori, cædit nobilitatem pene omnem, ipsũmque Cæsarem, cujus caput à cervice recisum è sublimi pertica circumtulit, ac denique cranium argento inclusum in hæreditarium Sclavorum principibus craterem consignavit. Deterius quid in die novissimo pertinacibus continget: *cor durum habebit malè in novissimo* Ecc. 3. v. 27. *nemo duri cordis salutem unquam adeptus est* ait S. Bernardus lib. 1. de Consid. c. 2. nisi quem fortè miserans Deus respexit abstulitque ab eò juxta prophetam, cor lapideum & dedit cor carneum. quid ergo est cor durum? ipsum est, quod neq; com-

§. 6.  
Corin-  
duratum,  
est diabo-  
licum mi-  
raculum.

ps. 106. v.  
18.

Exodi 15.

punctione scinditur, nec pietate mollitur, nec movetur precibus, minis non cedit, flagellis duratur. Ingratum ad beneficia est, ad consilia infidum, ad judicia sævum, inverecondum ad turpia, impavidum ad pericula, inhumanum ad humana, temerarium ad divina, præteritorum obliviscens, præsentia negligens, futura non providens: ipsum est, quod nec Deum timet, nec homines reveretur. Hactenus Bernardus. Cor Heliogabali medijs in flammis exuri non potuit ob veneni frigidissimi resistantiam, quo erat imbutum. mortifero malitiæ veneno ita redundant obstinacium corda peccatorum, ut nec divini amoris ignibus incalescant, nec objectis gehennæ incendijs respiscant. Rubum medijs in ignibus ardere nec consumi, supernæ gratiæ fuit prodigium; peccatores obstinatos inter scelerum sentes, divinarum luce collustrationum circumdari, divinæque charitatis incentivis undique cingi, nec tamen calorem illum concipere, nec scintillulam reciproci amoris admittere, imò odifese amantem, rejicere amplexantem, conspuere basiantem, hoc enim verò diabolicæ malitiæ est miraculum. Miratur enim verò ipse diabolus pertinaciam atque malitiã nostram, eamque execratur & diris devovet. Anno 1613. in Flandria fuit energumena Maria deSays, incarnata ut sic dicam diabolus, ex qua diabolus: ò Maria ex quo mundus esse cœpit, non fuit alia tibi similis, neque aliquando futura est. grande miraculum, quòd terra te sustineat, siquidem non est in potestate dæmonum facere mala quæ tu facis, & si diabolus non essem ego (hoc est inflexibilis) forsitan me pœnitiffet. interrogavit illam Exorcista: cur non converteris ad Deum tam bonum & amantem tui? cum dia-

bolus indignatus tam mansvetæ quæstioni: dicitò audacter Christi minister: ò maledicta creatura, quare non operaris secundum germina sanctarum inspirationum, quas Deus seminat in animam tuam? hæc & acerbiora dæmon in omnem æternitatem damnatis exprobrabit, & licet fabulam canat surdis, absurdus tamen egregiè molestus esse nunquam cessabit.

Justissimo enim Dei judicio eisdem per severæ ministros justitiæ continget, quod hodierno accidit convivæ, ut à facie humanissimi Regis projecti sine suo excidant, ad quem creati, redempti, vocatique sunt; excidant cœlestis convivij triclinio, Angelorum consortio, animæ corporisque gloriã; excidant visione divinæ faciei, eò quòd dorsum illi toties obverterint, & oculos suos statuerint declinare in terram. Unde sicut Samuel dorsum Sauli ostendit, quòd hic faciem suam à divino avertisset mandato: *projecisti sermonem Domini, projiciet te Dominus*, hæc obstinatorum pœna est; *dorsum & non faciem ostendam eis* Jerem. 18. v. 17. quia & ipsi dorsum Altari & Legi Dominicæ obverterunt. Deinde projicientur in tenebras exteriores, spissimam videlicet caliginem, cum tenebras magis dilexerint quàm lucem, & in tenebris suas quæsierint delicias. Ligabuntur manibus pedibusque, eò quòd confregerint jugum, diruperint vincula, & dixerint: non serviam. ligantur homines in infantia sua, nè cunis excidant, aut damnũ sibi ipsis imprudentes inferant, in matura verò ætate non ligantur, quia regere se ipsos nõrunt; vicissim verò bruta non ligantur in ætate prima, ligantur verò in adulta, ut servituti aptiora sint; ita & electi quasi modogeniti in hac vita, quæ infantia quædam virtutis vocari po-

ps. 16. v. 15

1. Reg. 15. v. 26.

jerem. 2.

test, ante vincuntur, in altera verò vita libertate filiorum gaudent; reprobi econtrà jumentis insipientibus comparati, vincula non admittunt, sed in omnem libertatem effreni audaciâ effunduntur, at ligantur in vita altera, ut è doloribus & ærumnis laborent in finem. Ad hæc flebunt quia in valle lachrymarum ridere quàm flere maluerunt; flebunt, quia Christo, pacisque Angelis amaras lachrymas excusserunt; flebunt quia cū Noëticiis illis ganeonibus omnes cœli minas, inferorum pœnas, Evangelij commotiones, pro deridiculo habuerunt; flebunt, quia subditos suos, vi duas, pupillos, ad sanguineas pœnè lachrymas adegerunt; flebunt, ut mulieres, quia non pugnârunt ut viri. Denique stridebunt propter murmura & obrectationes, propter crapulam & ebrietates, propter theoninos dētes, quos vivis Christi membris infixerunt, stridebunt propter tria F. infaustissima, Famem Frigus, Furias, quibus in ærumno-

fissimo illo carcere æternum confictabuntur. ò quàm libenter tunc vellent adrepere ad cœlestem regiam, ad nuptias, ad epulas, & vel micas, canum instar, de manu Regis sui legere, at frustra, non enim aliud audient, quàm triste illud: *Nolo.* desiderabunt post millies millena annorum millia, & millenos sæculorum milliones unicum momentum, quo agere possint pœnitentiam, unicam morulam, quâ respirare liceat ab interrupta pœna, unam aquæ guttulam in flammis, unam luculam in tenebris, unam versionem de latere in latus, at aliud non audient, quàm continuum *Nolo, Nolo, Nolo*, quia noluitis, renuistis, risistis, ego quoque ridebo & subsannabo vos, cum malè vobis fuerit, æternum malè.

\* \* \*  
\* \*  
\*



## PHILIPPICA LV.

In parentes malos.

DOMINICA XX. POST PENTECOSTEN.

*Rogabat eum ut descenderet, & sanaret filium ejus Ioan. 4. v. 47-*

S. I.  
Nullus  
in Evange-  
lijs parens  
pro animæ  
salute pro-  
lium legi-  
tur orasse.



**D**ignum observatione accuratiori esse censeo, quòd ex omnibus parentibus, quotquot ad Christum suis proprolibus supplices facti sunt, nemo legatur gratiam aliquam spiritualem & æternam, sed temporalem duntaxat, & corporis potissimum commodis congruam postulavisse. Orat hodiernus regu-

lus pro ægroto filio ut persanctetur, non ut æternum salvetur. Orat archisynagogus pro demortua filia, ut ad vitam temporaneam resuscitetur, non ut vitæ & requie æternæ donetur. Orat Chananæa pro filia energumena, ut liberetur à dæmonio in terris, non ut beatorum confortio angelorum in cœlis adscribatur. Orat Mater filiorum Zebedæi, ut filiorum alter dextram Christi occupet, alter sinistram, non in cruce, sed